

omnium; haec erat publicarum opum segura possessio. Quid-
ni ego illud locupletissimum mortalium genus dixerim in quo
pauperem invenire non posses? Inrupit in res optime positas
avaritia et, dum seducere aliquid cupit atque in suum ver-
5 tere, omnia fecit aliena et in angustum se ex inmenso redegit.
Avaritia paupertatem intulit et multa concupiscendo omnia
amisit. Licet itaque nunc conetur reparare quod perdidit, **39**
licet agros agris adiciat vicinum vel pretio pellens vel iniuria,
licet in provinciarum spatium rura dilatet et possessionem
10 vocet per sua longam peregrinationem: nulla nos finium
propagatio eo reducet unde discessimus. Cum omnia feceri-
mus, multum habebimus: universum habebamus. Terra ipsa **40**
fertilior erat inlaborata et in usus populorum non diripien-
tium larga. Quidquid natura protulerat, id non minus in-
15 venisse quam inventum monstrare alteri voluptas erat; nec
ulli aut superesse poterat aut deesse: inter concordēs divide-
batur. Nondum valentior inposuerat infirmiori manum, non-
dum avarus abscondendo quod sibi iaceret alium necessariis
quoque excluserat: par erat alterius ac sui cura. Arma cessa- **41**
20 bant incruentaeque humano sanguine manus odium omne in
feras verterant. Illi quos aliquod nemus densum a sole pro-
texerat, qui adversus saevitiam hiemis aut imbris vili re-
ceptaculo tuti sub fronde vivebant, placidas transigebant sine
suspirio noctes. Sollicitudo nos in nostra purpura versat et
25 acerrimis excitat stimulis: at quam mollem somnum illis
dura tellus dabat! Non inpendebant caelata laquearia, sed in **42**
aperto iacentis sidera superlabebantur et, insigne spectaculum